



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **UIJONGBUENSIS *** IN COREA NOVA
CONDITUR DIOECESIS UIJONGBUENSIS APPELLANDA. Animarum saluti pro Apostolico Nostro munere consulere
cupientibus easque aptioribus subsidiis cumulare, visum est Nobis supplices preces excipere quibus petitum est ut,
quodam archidioecesis Seulensis in Corea detracto territorio, nova exinde erigeretur dioecesis. Huic favente rei
Venerabili Fratre Ioanne Baptista Morandini, Archiepiscopo titulo Numidensi et in Corea Apostolico Nuntio, facultatem
facimus tale inceptum ad rem adducendi. Quapropter, sententiam excipientes Patrum Congregationi pro Gentium
Evangelizatione praepositorum, Nostra de Apostolica potestate, haec quae sequuntur decernimus. Pars septemtrionalis
territorii archidioecesis Seulensis, vulgo *Northern Kyounggi* cum urbibus *Uijongbu, Koyang, Kuri, Namyang, Paju,*
Tongduchon-Yangju, Yeonchon, ab archidioecesi quam diximus abstrahimus et ex iis novam dioecesim *Uijongbuensem*
appellantam erigimus ac constituimus. Episcopalem novae dioecesis sedem in urbe vulgo *Uijongbu* statuimus
templumque ibidem extans Deo in honorem Sacri Cordis Mariae dicatum, ad gradum et dignitatem Cathedralis
ecclesiae evehimus, eique insignia, privilegia et honores tribuimus, quibus ceterae in orbe catholico cathedrales
ecclesiae fruuntur. Novam erectam dioecesim Uijongbuensem metropolitanae Ecclesiae Seulensi suffraganeam facimus
atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione obnoxiam declaramus. Cetera vero secundum canonicas
leges adimpleantur. Haec omnia ad expedienda Venerabilem Fratrem Ioannem Baptistam Morandini, quem supra
memoravimus, delegamus, facta videlicet facultate quempiam alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum
subdelegandi. Re tamen ad exitum perducta, documenta apparentur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro
Gentium Evangelizatione diligenter mittantur, contrariis rebus quibuslibet minime obstantibus. *Datum Romae, apud*
Sanctum Petrum, die quarto et vicesimo mensis lunii, anno bis millesimo quarto, Pontificatus Nostri vicesimo sexto.

ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status

CRESCENTIUS card. SEPE

Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Laurentius Civili, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. XCVI (2004), n.11, pp. 717-718 © Copyright 2004 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana